



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 6. Qualis sit vnitas ab intellectu oriunda, qua constituitur
vniuersale. Qualis etiam artitudo euis ad essendum in pluribus, & ad
prædicandum de illis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

propterea opus erat, ut esset in illo indiuisa, seu non multiplicata per illas, & consequenter una communis pluribus, ac pro signo alio multiplicabilis per differentias ipsas. Porro naturam specificam nullatenus distingui ex natura rei ante intellectus operationem a differentiis numericis singularium, cum quibus est realiter idem, *disp. 13. q. 3. citatis* monstratum est, ubi contra Scotistas affirmatum est probatum, chimericam omnino esse distinctionem ex natura rei formalem, quam ipsi ponunt inter formalitates identificatas realiter, quæ quidem clarius adhuc censetur impossibilis inter prædicata transcendentia, & formalitates, quas dicuntur transcendere, qualis est indiuiduationis respectu omnium formalitatum cuiuscumque indiuidui. Semel tamen admissa huiusmodi distinctione formali ex natura rei inter naturam specificam, & omnes indiuiduationes, cum quibus ea est idem realiter, consequenter ponit Fonseca naturam specificam unam, & communicabilem pluribus ante intellectus operationem in aliquo signo antecedente ipsas indiuiduationes, non quidem unitate reali (realiter enim talis natura semper est multiplex) sed unitate formali ex natura rei, quæ cum multiplicitate, & distinctione reali compatibilis censenda est, iuxta doctrinam Scoti, uti cum identitate reali comparatur distinctio formalis ex natura rei, ut *supra* dicebam. Quocirca dicta distinctione naturæ ab indiuiduationibus semel supposita, male impugnatur communiter opinio Fonsæ; modò tamen meum non est talibus impugnationibus repugnare; sed fuerit exhibuisse solidam subuertentem distinctionem Scoticam formalitatum, cui Fonsæ opinio subnititur.

Propositio 3.

52 Unitas negatiua, quam Caiet. & alij ponunt in natura specificâ ante intellectus operationem, etiam est impossibilis.

Quia supponit distinctionem formalem ex natura rei inter naturam specificam, & differentias singularium, cum quibus est idem, quam distinctionem esse chimericam statuimus. In quo amplius non oportet morari.

53 Quod si in natura specificâ nulla unitas est reddens illam vniuersalem ante intellectus operationem, neque in genericâ, neque in differentiali, neque in accidentalibus erit, ut constat. Nullumque subinde erit vniuersale, quod per intellectum non fiat, ut fert sententia communis pene omnium Doctorum.

QVÆSTIO VI.

Qualis sit unitas ab intellectu oriunda, quâ constituitur vniuersale? Qualis item aptitudo eius ad essendum in pluribus, & ad prædicandum de illis?

54 Suppono ut certum fere apud omnes contra Caiet. in opusculis de ente, & essen. cap. 4. q. 6. Scot. q. 3. vniuersalium, & Zumei 1. p. q. 13. art. 7. vniuersale nequaquam fieri per operationem aliquam intellectus agentis: quia intellectus agens non

est potentia cognoscitiua, sed productiua simul cum actu Phantasiae specierum intelligibilium, prope *supra disp. 1. q. 2. sub finem* expositum est: vniuersale autem solum per potentiam cognoscitiuam valentem concipere plura ut vnum effici potest; qualis dumtaxat est intellectus possibilis. Quo autem sensu dici possit intellectus agens abstrahere à materiâ obiecta, quorum species causat, ibidem etiam est declaratum. Supposito itaque, quod vniuersale, atque adeo unitas, quâ constituitur per intellectum efficitur, Quærimus, qualiter, & qualiter illud aptum euadat inesse pluribus, ac prædicari de illis.

Prima sententia est Nominalium, & Recentiorum non præscindentium obiectiue; qui censent tunc ab intellectu nostro effici vniuersale, quando ille vnicâ cognitione plura simul cognoscit, atque complectitur obiecta; adeo tamen confusè, ut eorum non discernat pluralitatem: perinde enim apparet ea plura per talem cognitionem, ac si essent vnum; non quidem, quod unitas aliqua ex parte eorum repræsentetur, sed quod ipsa eorum pluralitas repræsentatur confusè, totâ confusione se habente ex parte cognitionis. Vnde concludunt unitatem vniuersalis neutiquam esse quid cognitum per dictam cognitionem, aut ex parte obiecti se habente, sed esse cognitionem ipsam, à quâ dumtaxat plura illa confusè cognita extrinsecè denominantur vnum. Ita cum Nominalibus à se relatis Petr. Hurt. *disp. 5. Metaph. Arriag. disp. 6. Logica. Ouid. contr. 3. Logica. & alij. Qui* consequenter arbitrantur ab eadem cognitione, à quâ vniuersale habet esse vnum, habere quoque esse commune pluribus; atque adeo aptum inesse illis, ac prædicari de illis, citra omnem aliam formam superadditam realem, vel rationis.

Communior tamen tum Thomistarum, tum cæterorum, qui præcisiones obiectiuas aut expressè defendunt, aut indubitatè supponunt, sententia est, vniuersale per cognitionem fieri repræsentantem plura ut vnum unitate quadam rationis ex parte obiecti se habente; per ipsamque cognitionem cognitâ. Plerique tamen censent, aut certè supponunt, huiusmodi unitatem rationis, quâ vniuersale constituitur, fictitiâ esse, sicut sunt in sententiâ eorum omnia entia rationis. Plerique item arbitrantur eiusmodi cognitionem repræsentantem plura ut vnum eo ipso esse abstractiuam, seu præcisiuam conceptus obiectiui adunati à differentis singulorum, quibus ille conuenit; quasi nequeant plura sub vnicò conceptu adunari nisi per cognitionem abstrahentem, seu præscindentem conceptum ipsum à differentiis singulorum. Quam abstractionem debere esse negatiuam nonnulli censent. Alij positiuam etiam admittunt, ut non minus idoneam ad vniuersale efficiendum. Tam verò aptitudo, quam vniuersale habet, ut sit in multis, & prædicetur de illis, ab omnibus pene Doctoribus huius factionis ponitur in respectu quodam rationis ipsius vniuersalis ad sua inferiora facta per cognitionem alteram comparatiuam. De quibus omnibus singillatim dicemus.

Propositio 1.

Vniuersale nullatenus constitui potest per cognitionem attingentem plura confusè absque aliâ unitate per ipsam cognitâ, & ex parte obiecti se habente, prope cum Nominalibus putant Recentiores nuper relati.

Probat ut

Probatur primò. Quia nisi plura appareant vnum cognoscens, non fit vniuersale, quantumvis ea per vnicam cognitionem tangantur, vt Aduersarij ipsi fatentur. Alioquin Deus, & alij intuentes per vnicam cognitionem plura vt plura tangentes, vniuersale compingerent, quod est absurdum. Sed impossibile est plura apparere vnum, nulla ipsorum apparente vnitate, siquidem vnum ex suo conceptu per vnitatem constituitur, vt notum est: ergo vt fiat vniuersale, aliqua vnitas plurium debet ex parte obiecti se habere distincta à cognitione, quâ fit, & per illam cognita, reddensque vnum plura ipsa, constituensque subinde cum illis ipsum vniuersale. Dicunt; vt plura appareant vnum sat esse, quod attingantur per cognitionem confusam non discernentem differentias. Sed contrà. Aut ista confusio cognitionis in causâ est, vt plura cum vnitate appareant, aut secus? si primum, ergo ex parte obiecti talis cognitionis est vnitas. Si secundum. Ergo plura non apparent per illam vnum, quia nequeunt apparere vnum sine vnitate.

58 Aliter tamen probo plane per nullam cognitionem nostram quantumvis obscuram posse iuxta Aduersariorum sententiam plura apparere nobis vnum, prout ipsi necessarium putant ad faciendum vniuersale. Quoniam iuxta Aduersariorum sententiam, quidquid ab intellectu nostro cognoscitur, quantumvis obscurè, in se immediatè, non verò in substituto alieno attingitur per cognitionem: Ergo quidquid ab intellectu nostro cognoscitur, quantumvis obscurè, id ipsum omnino, & non aliud est in mente nostrâ obiectiue, quod est realiter in se. Est clarum; quia si res cognita aliud esset in mente nostrâ obiectiue ab eo, quod realiter est in se, hoc aliud loco rei, non verò res in se immediatè tangeretur per cognitionem, contra suppositionem, vt constat. Pergo. Ergo impossibile omnino est, vt ea, quæ in se re ipsâ sunt plura, obiectiue in mente nostrâ sint vnum, quantumvis obscurè cognoscantur, nam essent aliud in mente ab eo, quod sunt in se, vt est notissimum. Ergo, & vt nobis appareant vnum, quod est idem ac esse in mente nostrâ obiectiue vnum. Recognosce *proposit. 5. supra 9. 3. statutam, & proposit. 10 statutam disputat. 13. quest. 3.* Igitur iuxta Aduersariorum sententiam de modo cognoscendi nostro per nullam nostram cognitionem possunt plura apparere vnum, prout opus est, vt per illam vniuersale fiat, etiam in ipsorum sententiâ. Tota ergo eorum Philosophia, quod ad rem atinet, & sibi inconstans, & plane falsa est.

59 Sed dicit aliquis. Si duo alba in eodem loco penetrarentur, vnum ea apparerent oculis, etiam si in se, & per proprias species cognoscerentur ab ipsis: ergo bene possunt plura apparere vnum, quantumvis in se cognoscantur. Respondeo in casu penetrationis duorum alborum fore, vt ea non vnum, sed duo apparerent oculis, vt probat ratio facta. Visio tamen eorum in vno loco in causâ asset, vt falleretur intellectus putans ea vnum esse; id tamen non fieret absque interuentu vnus phantasmatis ab intellectu vtente iam specie alienâ subrogati pro vtroque. Quemadmodum vnum album visum simul in duobus locis oculis quidem vnum est, quia in se ab ipso cognitum: tamen, quia sub præsentia duplici, intellectui inde decepto sæpe duplex apparet, non in se quidem iam, sed in phantasmate duplici substituto, prout dicebamus *disp. 10. quest. 9.*

Secundo; si constituitur vnice vniuersale per vnitatem cognitionis, ab eaque solâ plura cognita denominari possunt vnum, quin vlla alia vnitas obiectiua interueniat, quoniam per vnicam cognitionem quantumvis claram plura attingantur, efficietur vniuersale; siquidem nec claritas detrahit, nec confusio addit aliquid vnitaris. Quod tamen contra omnes est. absurdum.

Tertiò; distinctio rationis, quâ ab intellectu distinguuntur. quæ sunt realiter indistincta, nullatenus potest consistere in distinctione reali, quâ distinguuntur inter se cognitiones, quibus illa tanguntur, vt contrà eisdem Authores probaui *suprà dictâ disputatione 13. questione 9.* Ergo neque vnitas rationis, quâ ab intellectu adunantur, quæ realiter sunt distincta, in vnitate reali cognitionis, quâ cognoscuntur, potest vilo modo consistere.

Quartò; vniuersale ita debet esse vnum commune pluribus; vt idem formaliter, seu logicè repetitur in singulis, prout *suprà questione prima*, ex Aristotele, & experientiâ statuiamus; sed hoc cum sententiâ Aduersariorum constare non potest; quia neque plura confusè cognita repetiuntur in singulis, neque eadem cognitio confusa plurium potest ad singula terminari: Ergo cum sententiâ Aduersariorum vniuersale Aristotelicum, & verum non potest constare.

Quintò. Fundamentum necessarium, vt intellectus noster faciat vniuersale per adunationem plurium à suâ cognitione oriundam eorumdem plurium exacta similitudo est; vt fatentur omnes, & experientia manifestat, iuxta dicenda *infra questione octaua*. Ob id enim à pluribus, quæ inter se dissimilia apparent, qualia sunt differentiz omnes specificæ tum inter se, tum cum generibus comparatæ; & alia huiusmodi obiecta, conceptum eisdem communem, atque adeo vniuersalem neutiquam abstrahere possumus, aut efformare. Ergo cum Aduersariorum sententiâ neutiquam possunt componi vniuersalia saltem generica. Probo consequentiam. Nam in Aduersariorum sententiâ ea plura, ex quibus erat abstrahendum, seu compingendum vniuersale genericum, neutiquam possunt nobis apparere exactè similia; quandoquidem neque apparent nobis præcisâ, siue distincta obiectiue à suis differentiis, de quibus est certum apparere nobis dissimiles, neque apparent nobis in substituto alieno, sed in se ipsis, quo pacto certum est etiam esse dissimilia inter se. Itaque in Aduersariorum sententiâ animal hominis idem conceptus est obiectiuis, ac rationale; & animal bruti idem ac irrationale; homoque integer indiuisum, vt est in se est in mente nostrâ obiectiue, pariterque integrum brutum. Ergo eandem dissimilitudinem habent in mente nostrâ obiectiue animal hominis, & animal bruti, quam habent rationale, & irrationale, quamque re ipsâ inter se habent homo, & brutum: Ergo in sententiâ Aduersariorum nequaquam possumus defectu similitudinis requisitæ formare conceptum vniuersalem, atque genericum animalis communem homini, & bruto. Quod erat probandum. Recurre autem ad connotata similia, tutum non est, vt multis monstraui in simili *disp. 13. quest. 9.* Tum, quia sæpe numero prædicata generica non habent connotata similia. Tum, quia conceptus vniuersalis genericus non ex extrinsecis connotatis, sed ex prædicatis intrinsecis speciebus, & cum earum differentiis identificatis confluit, vt satis ex se notum est.

Sextò.

Disp. XVII. De vnitae & plural. rer. Quæst. VI. 37

Sexto. Ex dicendis circa sequentem hæc propositio confirmabitur.

Propositio 2.

64 Vnitas constituens vniuersale obiectiua est; ea nimirum, quam fortiuntur plura cognita, vt vnum ab vno phantasmate substituto, in quo ita cognoscuntur à nobis.

Hoc enim ipso, quod cuncta cognita à nobis per species alienas, non in se ipsis, sed in phantasmatibus sensibilibus, vt in quibuscumque substitutis representantur, prout latè monstrauimus *suprà disp. 2. q. 3.* vt ea, quæ re ipsa sunt vnum, cognita in pluribus phantasmatibus multiplicata nobis apparent, atque adeo inter se distincta, vel præcisè obiectiue; ita, quæ re ipsa sunt plura, cognita in vno phantasmate adunata nobis apparent, atque adeo obiectiue, quod est vniuersale.

65 Probat autem hæc propositio, primò ex perspicua coherentiâ, quam doctrina de modo nostro cognoscendi in substitutis alienis *q. illa 3. tradita* habet cum hoc puncto, & cum cæteris, quæ conueniunt.

66 Secundò, quia nisi in substitutis alienis cognosceremus, quæ cognoscimus per species alienas, nequaquam possemus facere vniuersale, vt dicta *q. 3. conf. 4.* statuimus, in superque modò probatur. Imprimis enim non possemus facere vniuersale extrinsecè constitutum per cognitionem absque illâ vnitae rationis habente sed ex parte obiecti; eò quod tale vniuersale prorsus repugnat, vt satis constat ex dictis *proposit. 1.* sed neque possemus facere vniuersale constitutum vnitae obiectiua, quâ nobis plura apparet vnum, quia cognoscentibus res in se ipsis, & non in substitutis alienis, vt nequeunt plura apparere ea, quæ sunt realiter vnum; proindeque nullam distinctionem rationis inter extrema identificata facere possunt, vt constat ex doctrinâ tradita *disp. 13. q. 12.* ita nequeunt apparere vnum, quæ realiter sunt plura, nullaque proinde vnitae rationis possunt plura inter se distincta adunari. Cuius vtriusque ratio à priori est, quam in *eadem q. 12.* atque etiam nuper *proposit. 1.* exhibuimus, iuxta propositionem 5. haud dubiè euidenter *suprà q. 3.* statutam. Quia nimirum, quæ in se cognoscuntur, & non in substituto alieno, non possunt non esse apud cognoscentem, siue in eius mente obiectiue id, quod re ipsa sunt in se; atque ita non possunt esse obiectiue in mente cognoscentis plura, quæ in se realiter sunt vnum, neque vnum, quæ in se sunt plura. Ex quibus patet idcirco nobis plura apparere vnum, cum facimus vniuersale, quia ea à nobis non in se ipsis, sed in vno substituto phantasmate cognoscuntur, ac proinde vnitatem, quâ vniuersale à nobis factum in esse talis constituitur, aliam non esse ab eâ, quam plura ipsa ab ipso phantasmate vno, in quo nobis apparent, obiectiue in mente nostrâ fortiuntur, vt dicimus in propositione.

67 Quæ tandem inde tertiò probatur, quia cum doctrinâ eius bene coherent quæcumque de naturâ vniuersalis tum Aristoteles, tum alij plerique Philosophi, duce experientiâ, conceperunt. Sit primum. Vniuersale ita esse vnum commune pluribus, vt idem ipsum formaliter, seu logicè reperitur in singulis. Quod cum toto rigore euenit, dum intellectus noster idem phantasma sensibile subrogat ad concipiendum singula seorsim in statu contractionis, quod subrogat ad concipiendum omnia

Pharus Scientiarum, Tom. II.

simul in statu abstractionis. Inde enim fit, vt licet plura, ex quibus vniuersale compingitur, à singulis seorsim acceptis, & ipsa singula ab se inuicem realiter, & physice, & prout sunt in se, sint distincta, formaliter tamen; & logicè, & prout sunt in mente nostrâ obiectiue distincta non sint. Itaque animal hominis, & animal bruti tum ab se inuicem, tum ab animali communi vtrique, atque adeo complectente vtrumque, realiter, & physice in se ipsis distincta sunt; formaliter tamen, & logicè in phantasmate substituto, in quo nobis representantur, vnum, & idem esse solent, atque ita idem, & eodem modo nobis apparent, vt experientia monstrat, eodemque propter eam nomina significanda veniunt. Cæterum, quamquam plerumque hæc ita eueniant, nihil est, quod veteri conceptum vniuersalem sæpe multiplicari à nobis in inferioribus etiam formaliter, & logicè secundum numerum dumtaxat, subrogatis scilicet, pro singulis, ex quibus coalescit, phantasmatibus distinctis numerice, sed exactè similibus: quo pacto nomina etiam eis respondentia numerice distincta esse solent. His tamen etiam in casibus idem conceptus communis pluribus dicitur reperiri in singulis non rigorosâ identitate, sed latâ, qualis exacta similitudo appellari solet, eo quod fundamentum est promptum identitatis, quam nuncupamus formalem, seu logicam, seu obiectiuam.

68 Secundum, quod omnes communiter circa vniuersalis structuram censent, est, vt intellectus concipiat plura vt vnum, atque ita faciat vniuersale necessarium omnino esse, quod ea appareant illi exactè similia. Quod tamen cum sententiâ non præcipientium, saltem quoad vniuersalia generica componi non potest, vt nuper monstrauimus. Cum nostrâ verò coheret optimè, nam iuxta illam in singulis naturis specificis, quibus immediatè conuenit ratio generica, duas concipit intellectus nostre rationes obiectiue præcisas; alteram exactè similem in omnibus à similitudine exactâ phantasmatum substitutorum, & consequenter adunabilem ad constituendum vniuersale genericum; alteram in omnibus dissimilem à dissimilitudine patitur subrogatorum phantasmatum; & consequenter differentialem, & non adunabilem. e. g. animal hominis, & animal leonis omnino similia appareat nobis à similitudine omnimodâ phantasmatum substitutorum, & ideo vtrumque adunamus ad compingendum animal vniuersale, quod hominis, & leonis est genus: cum tamen rationale hominis, & rugibile leonis dissimilia nobis appareant à dissimilitudine subrogatorum phantasmatum. Quod si homo, & leo secundum totum, quod sunt, & in se ipsis, vt Aduersarij putant, conciperentur, non possent non apparere dissimiles, quo in adunabiles prorsus essent sub vno conceptu vtrique communi, atque adeo vniuersale genericum penitus pessum iret. Ex quo patet ad faciendum vniuersale genericum omnino necessarium esse præcisionem, quâ ratio generica ex parte obiecti à differentiis præcindatur.

69 Tertium, quod de vniuersali dicunt communiter Philosophi, est. Vniuersale per abstractionem fieri, quâ natura multis communis à differentiis singulorum abstrahitur. Quod in sententiâ non præcipientium obiectiue locum non habet; bene tamen in nostrâ. Loquuntur enim Philosophi de abstractione propriè dictâ, quæ præcisio obiectiua est, vt nomen ipsum præse fert, eo quod per hanc,

D
v

ut implicum, & regulariter sunt vniuersalia cuncta, & quaedam eorum nisi per illam non possunt fieri, tamen quaedam alia possunt per abstractionem minus propriam, quae non est praecisio obiectiua. Quod ut planè intelligatur, notandum est abstractionem dici vniuersè in hac materia cum actum intellectus, per quem ut vnum concipiuntur, quae re ipsa sunt plura; quae duplex est. Propria, & impropria. Propria, quae eam rationem obiectiua, formalitatemque, quam adunat, ex parte obiecti praescindit ab aliis rationibus: abstracta quippe propriè praescindere est. Impropria, quae adunat solum non praescindendo; sed completendo suo conceptu omnes rationes obiectiua rerum adunatarum. Vnde adunatio potius pluri, quam abstractio dici deberet; cum tamen altera & adunatio sit, & abstractio. Quo iure satis fuerit dicere vniuersale per adunationem pluri a nobis fieri; hanc autem aut abstractiuam rationis adunata ab aliis, aut non abstractiuam esse posse. Tamen plerumque de facto interdumque ex necessitate per abstractiuam adunationem vniuersale fiat. Etenim cum differentia individualis vltima aliud non sit à distinctione, quae vnumquodque individuorum ab aliis distinguitur, ut infra ostendemus, & hanc non respuat, sed potius supponat similitudo exacta pluri, in qua fundatur vniuersale ex illis per adunationem compactum, iuxta dicta *num. preced.* conficitur plura quaeque individua omnino similia quoad totum, quod re ipsa sunt, nullà relicta formalitate, posse ab intellectu adunari, atque ita posse per adunationem non praecisiam, seu non abstractiuam vniuersale fieri. Quod eueniet, si intellectus noster pro eiusmodi pluribus individuis vnicum phantasma substituat in ordine ad cognoscendum totum, quod omnia illa, & singula re ipsa sunt; quo casu nulla interueniet praecisio, ut constat ex doctrinà tradita *disp. 2. quasi. illa 3. citata*. Quod similiter euenire potest, dum vniuersale accidentale sumptum in concreto compingimus; cuius inferiora quoad totum, quod re ipsa citrà omnem praecisionem possumus adunare sub accidentali conceptu concretè sumpto, ut ex dicendis in sequentibus notum fiet. Regulariter tamen non videtur ita fieri à nobis vniuersale ex pluribus individuis, quantumvis omnino similibus, sed factà praecisione obiectiua eius rationis, quae adunatur à differentiis individualibus; eò quod dum intellectus vnicum phantasma substituit pro cognoscendis illis vno conceptu, regulariter non videtur tendere ex se vi principiorum, quibus mouetur, ad cognoscendum talitates, seu differentias individuales eorum, sed tantum rationem specificam; quo fit, ut hanc ab illis obiectiue praescindat, secundum doctrinam commemoratam nuper ex illà quaestione tertia. Cuius consecutarium quantum omnino ad rem videndum est. Pariterque videtur philosophandum de vniuersali accidentali etiam concretè accepto, uti regulariter fit, iuxta dicenda infra suo loco. Quomodo autem vniuersale genericum sine obiectiua praecisione rationis genericae à differentiali nisi per adunationem abstractiuam non possit fieri, ex dictis *num. preced.* constat. Simileque venit dicendum de vniuersali differentiali, de aliisque innominatis essentialibus ut condistinctis ab specifico, pro ut ex dicendis in sequentibus apparebit. Ex quibus omnibus palam est, quod proposuimus in

praesenti, nempe ut plurimum, & regulariter vniuersalia cuncta fieri à nobis per adunationem abstractiuam, & quaedam eorum nisi per illam non posse fieri. Tamen quaedam alia possunt per non abstractiuam.

Quartum, quod de vniuersali communiter existimatur, & mihi videtur verissimum, est, illud solum à cognoscentibus abstractiue, siue per species alienas, non item à cognoscentibus intuitiue, siue per species proprias effici posse. Quod sententia nostra praeter ceteris clare conspicitur quadrate. Si enim cognoscentes per species alienas, non in phantasmatis substitutis sed in ipsiusmetus immediatè attingent obiecta cognita, non aliter vniuersale, faceret quam cognoscendo, plura obscurè, ut cum Nominalibus censent Recentiores supra relati; cognoscere autem plura obscurè etiam cognoscentibus per proprias species potest citrà dubium competere, quare & hi quoque possent vniuersale facere contra suppositam existimationem communem. Si tamen cognoscentes per species alienas in phantasmatis substitutis cognoscunt cuncta, ut nos censemus, atque adeo non aliter vniuersale faciunt, quam substituendo pro pluribus cognoscendis simul vnum phantasma; palam est nequaquam posse vniuersale facere, qui cognoscunt per proprias species; quia per proprias species nihil potest in substituto alieno cognosci; cum omnia cognoscantur in se, ut est notum.

Propositio 3.

Vnitatis constituens vniuersale vnitatis rationis est non ficta, sed supposita iuxta doctrinam supra statutam *disp. 2. q. 3. conclus. 7.*

Nam ut constat ex proposito *preced.* vnitatis constituens vniuersale alia non est ab vnitatis, quam plura cognita à nobis in vno phantasmate substituto ab vnitatis ipsius phantasmatis sortiti in mente nostra dicuntur, quatenus in illo nobis vnum apparent, atque ita in mente nostra obiectiue vnum quid sunt, tamen in re ipsa sint plura. Huiusmodi autem vnitatem ita esse vnitatem rationis, ut non fictitia sit, sed supposita, ex doctrinà illius conclus. 7. latius expostà *disp. 2. constat*, quae ad rem recolenda, non repetenda est.

Hinc collige vniuersale non consistere in illo phantasmate sensibili, seu spectro, seu idolo praecisè sumpto, quod intellectus noster subrogat pro pluribus à se cognoscendis, quando facit vniuersale, uti nonnulli male intelligentes sententiam nostram supponunt; quia huiusmodi substitutum phantasma, sicut non est, quod absolute cognosci dicitur, dum pro absolute cognoscendis subrogatur, ut *q. illa 3. affatim explicuimus*; ita absolute praedicari, aut posse praedicari de pluribus dici non potest, pro ut ad vniuersale requiritur. Consistit ergo vniuersale in conceptu illo obiectiua: qui ex pluribus cognitis ut vnum obiectiue in mente nostra compingitur, dum plura ipsa in vno substituto phantasmate à nobis cognoscuntur. De quo conceptu obiectiua simpliciter, & absolute venit dicendum esse vnum quid commune pluribus, & praedicabile de illis, atque adeo vniuersale.

Quae autem contra hanc, & praecedentes propositiones opponi possunt, abundè iam *q. 3. supra illa citata* diluta sunt.

Propositio 4.

74 De potentia, quam vniuersale habet ad essendum in multis, & ad prædicandum de illis, perinde ac de aliis potentiis philosophandum est. Atque ita dicendum eam sumptam materialiter, & quasi physicè nihil prorsus differre à fundamentis, unde habet vniuersale denominari potens aut esse in multis, aut prædicari de illis; sumptam verò formaliter, seu logicè respectum quemdam rationis esse non fictum, sed supposititium.

Pro cuius intelligentia notandum est pleraque potentias denominationes quasdam semiextrinsecas esse identificatas realiter partem cum subiecto, quod potens dicitur, partim cum possibilitate actus, partim cum aliis, quæ fundant eiusmodi denominationes. Quæ proinde sumptæ physicè, seu materialiter ab aggregato suorum fundamentorum non distinguuntur. Sumptæ verò logicè, seu formaliter actus quidam primi sunt ex conceptu suo, atque adeo respectus quidam inter subiectum, & terminum, iuxta doctrinam supra traditam disputat. 2. questione 4. & fufius disputat. 8. questione 2. & sequentibus. Sic potentia ignis ad comburendum realiter ab entitate ignis, & à possibilitate combustionis non differt. Formaliter tamen actus quidam primus est, quo ignis ad combustionem refertur concipitur, eò quod phantasma substitutum pro fundamentis talis actus è genere respectuorum est. Quocirca respectus huiusmodi respectus rationis est non fictus, sed supposititiuus, iuxta doctrinam sæpè citatam ex disp. 2. q. 3. atque ex disp. 11.

75 Similiter ergo potentia, quam habet vniuersale ad essendum in pluribus, materialiter, & quasi physicè nihil differt ab eo conceptu obiectiuo, in quo vniuersale posuimus, & à possibilitate actus essendi in pluribus: formaliter verò, siue logicè actus quidam primus est ex conceptu suo, atque adeo respectus rationis non fictus, sed supposititiuus, iuxta dicta. Pariterque philosophandum est de potentia, qua vniuersale potens est prædicari de pluribus quæquidem diuersa ab altera est utpote terminata ad diuersum actum. Actus quippe vniuersali competens essendi in multis, & actus prædicandi de illis diuersi sunt, ut iam expono.

76 Etenim actus prædicandi de multis denominatio semiextrinseca est, quæ natura vniuersalis passiuè dicitur prædicari de multis, putà prædicatione verà; cuius denominationis fundamenta sunt prædicatio actiua, siue mentalis consistens in iudicio intellectus, siue vocalis, quæ affirmatio vocalis est, & conuenientia realis quæ natura vniuersalis verè conuenit illis multis, de quibus prædicari dicitur. Qui quidem actus prædicationis passiuæ sumptus formaliter respectus rationis est non fictus, sed supposititiuus. Sicut & cæteri actus extrinsecè, aut semiextrinsecè denominantes iuxta generalem doctrinam datam locis citatis.

77 Actus verò essendi in multis vniuersali competens nequit consistere ut quidam censent, generatim acceptus in identitate reali naturæ vniuersalis cum multis, quia vniuersale accidentale significabile per verbum non identificatur realiter cum eis multis, relata ad quæ est vniuersale, & de quibus prædicabile est, ut cernitur in loquutione, cur Pharus Scientiarum, Tom. II.

su, & similibus prædicabilibus sic de multis. Petrus loquitur. Ioannes loquitur. Franciscus loquitur. Petrus currit. Ioannes currit. Franciscus currit, &c. Neque consistit, ut alij putant, in inclusione naturæ vniuersalis in multis, quia neque includitur in multis, respectu quorum vniuersale est, vniuersale accidentale prædictum, ut patet in exemplis datis. Consistit ergo in conuenientia, quæ omne vniuersale re ipsa conuenit eis multis, de quibus ut de subiectis prædicatur, siue per identitatem, siue per adhesionem, siue aliter eis conueniat. Perinde enim est posse vniuersale multis inesse, ac posse eis sic conuenire, ut verè de illis sit prædicabile.

Ita tamen vniuersale est potens esse in multis, 78 & prædicari de multis, ut licet formaliter, & logicè sumptum idem indiuisum possit, aut etiam soleat in singulis reperiri, iuxta dicta numero 67. physicè tamen, & materialiter acceptum non indiuisum, sed diuisum, seu distributum illis conueniat, pariterque proinde & eis inesse, & de eis prædicari possit, ut dicebamus questione 4. & omnes consentient communiter. Itaque animal commune homini, leoni, & equo, animal hominis, & animal leonis, & animal equi, quæ realiter inter se distinguuntur, complectitur in suo conceptu. Proindeque dum talis conceptus homini, leoni, & equo sigillatim tribuitur, sic distribuitur, seu diuiditur, ut homini animal hominis, leoni animal leonis, & equo animal equi solummodò tribuatur.

Supereft notandum duplex à multis dialecticis 79 distingui hic vniuersale consentaneè ad doctrinam traditam, Metaphysicum scilicet, & logicum. Vniuersale metaphysicum dicunt naturam abstractam à differentis inferiorum, ad vnumque subinde conceptum obiectiuum redactam: eò quod proprium Metaphysicorum est ita considerare naturas, de quibus disputant aut tractant. Vniuersale autem logicum vocant naturam communem, prout potentem formaliter inesse multis, & prædicari de illis; quia ad logicos spectat naturam multis communem ad sua inferiora comparare. Vnde concludunt vniuersale metaphysicum constitui præcisè per vnitatem rationis cadentem supra naturam re ipsa multiplicem. Vniuersale autem logicum addere insuper potentiam formalem, quæ expressè ea natura adunata concipitur potens inesse multis, aut etiam prædicari de illis. Cæterum his appellationibus non multum est hærendum. Nam & vnitatis rationis, quæ vniuersale metaphysicum constitui dicitur, vnitatis logica, siue secunda intentio logica nuncupatur, ipsumque vnum totum logicum ad distinctionem totius physici, atque etiam metaphysici iure optimo dicitur. De quo alibi.

Postremò obseruandum est: vniuersale, quodcumque illud sit, bifariam vsurpari posse. Primo adiectiuè, siue, ut alij dicunt, pro substituto, hoc est pro naturà, ut subest vniuersalitati, siue ut eam connotans in obliquo. Secundo substantiuè, siue, ut dicunt alij, pro constituto: hoc est, pro composito dicente ex æquo & in recto naturam, & vniuersaliter. Id, quod omnibus concretis ex subiecto, & formâ commune est, ut iam non semel in superioribus dictum reliquimus, præsertim disputat. 2. questione 4. & disp. 9. q. 1. & 2.

Confectaria Præcedentis doctrinæ.

Confectarium 1.

- 81 In actuali contractione, quâ vniuersale contrahitur ad singula sua inferiora, siue per actualem prædicationem, siue per alium actum, non retinet eandem vniuersalitatem, quam antea in suo statu abstractionis, siue adunationis habebat.

Sententia est communis, & facis constans ex dictis. Indeque declarari amplius, & confirmari potest. Quia qui dicit *Petrus est homo*, non identificat cum Petro omnem humanitatem contentam sub conceptu vniuersali hominis; sed aliquam. Et, qui dicit, *Homo est animal*, non identificat cum homine omnem animalitatem, quam animal vniuersale complectebatur antea, sed aliquam; & in cæteris pariter. Alioquin omnes eiusmodi propositiones essent falsæ: quod est absurdum. Similiter, qui concipit hominem vt conuenientem soli Petro, aut animal vt conueniens soli homini, conceptus hominis, & animalis ampliores antea contrahit, vt iam non omnem humanitatem, & omnem animalitatem, quam antea, complectantur; sed aliquam; siquidem nec Petro omnis humanitas, nec homini omnis animalitas, sed aliqua solum re verâ conuenit. Non ergo in actuali contractione retinet vniuersale eandem vniuersalitatem quam in statu abstractionis, siue adunationis habebat.

- 82 Sed est aduertendum. Regulariter, & vt plurimum conceptum antea vniuersalem per actualem contractionem non manere determinatum, sicut est conceptus subiecti, de quo prædicantur, sed vagum, eoque modo indifferentem ad alia subiecta, sicut & vox, quâ significatur, indifferens est. Ita enim euenit cum dicimus. *Petrus est homo: Homo est animal*, qui est modus ordinarius contrahendi vniuersalia. Dico tamen regulariter, & vt plurimum, quia interdum euenit oppositum. Vt cum dicimus, *Petrus est hic homo: Homo est hoc animal*. Quam doctrinam latius expositam, & probatam reperies supra disp. 2. q. 3. confect. 4. circa medium.

- 83 Quam autem vniuersalitatem habeat in actuali prædicatione conceptus, qui de subiecto vniuersali, seu distributo, seu non distributo prædicatur, inferius disp. 18. vidimus, ubi de terminorum suppositione sermo nobis sit.

Confectarium 2.

- 84 Vniuersale propriè dictum non est conceptus vagus complectens multa vagè, seu disunctione hoc est, vnum, vel aliud, vel aliud sub disunctione sed determinatus complectens multa determinatè.

Hoc confectarium contrâ Petr. Hurt. est, docentem, seu supponentem oppositum disp. 5. Metaph. sec. 10. §. 157. & 175. sed illud tenent Ariag. in log. disp. 6. sec. 6. sub. 2. Ouid. controu. 3. log. pun. 8. & alij communiter. Probatum autem, non vt probat Ouid. quia per actum vagè attingentem plura, hoc est, vnum, vel aliud, vel aliud sub disunctione necessariò debeant illa tangi vt distincta, non verò vt vnum. Hoc enim falsum est, quia dum intellectus noster in vnico substituto phantasmate vagè cognoscit multa, vnum vtique apparent illa, vt experientia monstrat; sed quia conceptus vagus, seu disunctiuus, qui per singula-

ria vagatur, quâ talis est, non reputatur vniuersalis in communi existimatione. Ob id enim hæc propositio, *aliquis homo currit*, non vniuersalis, sed de subiecto vniuersali, sed particularis, seu de subiecto particulari ab omnibus reputatur, & dicitur. Cuius ratio à priori est, quia conceptus vniuersalis multa debet in se complecti, quibus per quamdam sui distributionem communis sit, vt ex superioribus liquet. At conceptus vagus prædictus vnum dumtaxat ex multis complectitur in se re verâ; tamen, non determinatè; sed vagè, quo fit, vt ex illis omnibus quadamtenus communis sit non per distributionem, sed per disunctionem. Quo iure si quis illum vniuersalem minus propriè per analogiam ad alterum appellare voluerit, non multum reueniam. Hoc tamen pacto vniuersale vsurpatum eandem retinebit in actuali prædicatione vniuersalitatem, quam habebat antea; vt ex dictis confect. 1. colligere est.

Confectarium 3.

Vniuersale tum per abstractionem negatiuum, 85 tum etiam per positiuum effici potest.

Abtractio, siue præcisio negatiua appellatur, quâ cognoscitur vna rei formalitas, ignotis aliis, cum quibus illa est idem. Abtractio verò positiva dicitur, quâ cognoscitur vna rei formalitas vt condistincta ab aliâ, vel aliis simul cognitis, cum quibus illa idem est. Ergo prior pars confectarij apud omnes est in consensu, qui præcisiones obiectiuas admittunt. (Qui enim negant impropriè solum, & abusiue dicere possunt; dicunt tamen per abstractionem negatiuum vniuersale fieri.) Et probatur, quia nihil verat cognosci à nobis animal, e. g. vt vnum, atque commune multis, ignotis penitus differentiis rationalis, & irrationalis, cum quibus illud re ipsa est idem, vt experientia docet. Quod est fieri à nobis vniuersale per abstractionem, seu præcisionem negatiuum.

Secunda verò pars confectarij non adeò est communis. Negant enim illam nonnulli putantes, hoc ipso, quòd animal e. g. cognoscitur à nobis vt positivè condistinctum à rationalitate hominis, à rugilitate leonis & ab aliis huiusmodi differentiis non posse non concipi contractum per differentias ipsas, atque adeo non vniuersale, quod est per abstractionem positiuam vniuersale fieri non posse. Fallitur tamen, quia nihil prohibet concipere nos animal vt vnum, atque commune pluribus, quantumuis illud concipiamus positivè distinctum à differentiis singulorum. Cum enim animal hominis, & animal leonis, vt condistincta à rationali, & rugibili sint ex conceptu suo exactè similia, poterunt vtique vt sic condistincta à rationali, & rugibili sub vnico conceptu adunari, siue concipi vt vnum: Siquidem fundamentum adunationis plurium exacta eorum similitudo est. Quo fiet vt animal vnum commune pluribus appareat, simulque positivè distinctum à differentiis singulorum. Quod est per positiuam abstractionem vniuersale fieri.

Ex quo patet ad contractionem nature aliàs vniuersalis aufertem, & impediendam eius vniuersalitatem non satis esse, quòd ea concipiat vt positivè condistincta à differentiis inferiorum, in quibus ea reperitur, sed insuper esse necessarium, quòd concipiat in ipsis multiplicata, aut etiam determinata ad singula per coniunctionem: cum talibus differentiis, vt iam amplius declaro.

Confectarium 4.

88 In contractione vniuersalis ad sua inferiora duo regulariter interueniunt; Nempe & multiplicatio obiectiua eorum, quæ prius apparebant vnum; & coniunctio obiectiua eorundem cum differentiis ipsorum inferiorum, cum aliisve formalitatibus in illis repertis; interdum tamen primum inuenitur sine secundo.

Etenim tunc dicitur vniuersale contrahi ad sua inferiora, quando conceptus illis antea communis, eoque iure latius patens, quasi constringitur, seu coarctatur, atque limitatur in singulis. Id autem fit cum intellectus noster naturam antea vniuersalem multiplicatam, atque distinctam vti re ipsa est, concipit in suis inferioribus, atque adeo etiam coniunctam cum inferiorum differentiis, cum aliisve formalitatibus in eis repertis, quando ab illis fuerat abstracta, siue præcisâ, vti regulariter euenit. Quando enim natura re ipsa multiplex per adunationem non abstractiuam, seu non præcisiuam facta fuerat vniuersalis, & euenire potest interdum, iuxta doctrinam supra traditam n. 6. 9. tunc quidem ea per solam sui multiplicationem obiectiuam contrahenda venit citra omnem coniunctionem eius cum differentiis, formalitatibusve ab eâ præcisâ, quæ in tali casu nullæ sunt. Itaque contrahere vniuersale genericum ad suas species, nihil est aliud, quam concipere illud multiplicatum in illis, coniunctumque cum illarum differentiis specificis. Pariterque de vniuersali differetiali, de aliisque essentialibus innominatis philosophandum est, iuxta inferius dicenda. Contrahere autem vniuersale specificum ad sua individua similiter nihil est aliud regulariter, quam concipere illud multiplicatum in illis, coniunctumque cum illorum differentiis numericis. Interdum tamen dumtaxat est concipere illud in indiuiduis multiplicatum citra omnem coniunctionem cum differentiis. Tantumdemque venit dicendum de contractione vniuersalium accidentalium in concreto sumptorum, vt ex dicendis apparebit.

Confectarium 5.

89 Natura abstracta ab vno indiuiduo, siue à differentiâ eius numericâ non est vniuersalis, neque vnitatem habet mediam inter vnitatem vniuersalis, & vnitatem singularis. Si autem abstrahatur à multis, vt fieri potest, quamuis sint eorum aliqua impossibilia, vniuersalis erit.

Prima pars huius confectarij eatenus est contra Petr. Hutt. disp. 5. Metaph. sec. 9. & Smiglecius disp. 4. log. q. 4. quatenus asserunt naturam abstractam ab vno indiuiduo, eo ipso ab omnibus, & pro omnibus esse abstractam, & consequenter vniuersalem esse. Eam autem ferè omnes alij communiter tenere videntur, & probatur. Quia natura abstracta ab vno indiuiduo eius indiuidui propria est: ergo nequit esse aliis communis. Tum de eo dumtaxat indiuiduo est prædicabilis, quia cum eo solo est re ipsâ identificata: ergo non est vniuersalis. Natura quippè vniuersalis, & communis pluribus, & prædicabilis pluribus esse debet, vt constat. Confirmatur, & declaratur. Quia natura vniuersalis ita est vna ratione nostrâ, vt re ipsâ sit plures; inde enim habet esse communem pluribus, & prædicabilem de pluribus, vt ex superius dictis satis est notum: sed natura abstracta ab vno indiuiduo re ipsâ non est plures, sed vnica: Ergo.

90 Sed arguunt Aduersarij primò. Natura abstra-

Pharus Scientiarum, Tom. 11.

cta ab vno indiuiduo cognoscitur sine vlla singularitate: Ergo abstrahitur ab omni singularitate, quia abstrahi ab aliquo, & cognosci sine illo idem est in præsentia: Ergo natura abstracta ab vno indiuiduo, eo ipso est abstracta ab omnibus, atque adeo vniuersalis. Egregia æquiuocatio. Abstrahi vnum ab alio, pro vt ad præsentem rem attinet, non est vrcunque sine illo cognosci, sed cognosci sine illo suppositâ identitate reali amborum; alioquin, qui cognosceret integrum Petrum, nullo alio homine cognito, conceptum obiectiuum haberet abstractum à multis, & consequenter vniuersalem, quod est ridiculum. Igitur, qui abstrahit naturam ab vno indiuiduo, est etiam absque vlla singularitate sicut & absque vilo alio integro indiuiduo cognoscit; non tamen abstrahit illam à pluribus abstractione ad rem pertinente, idoneaque ad faciendum vniuersale.

Deinde arguunt. Qui abstrahit naturam ab vno indiuiduo, non magis clarè cognoscit illud, quam reliqua similia: Ergo confundit illud cum aliis: Ergo conceptum habet confuso quodam modo abstractum ab omnibus, atque adeo communem omnibus, & prædicabilem de omnibus. Et confirmari potest; quia aliâs ad faciendum vniuersale omnibus indiuiduis commune, ab omnibus expressè facienda esset abstractio naturæ, quod videtur à praxi alienum, imò impossibile. Nemini enim possunt simul occurrere omnia indiuidua, vt ab illis naturam abstrahat.

Respondeo ad argumentum. Qui abstrahit naturam ab vno indiuiduo magis clarè cognoscere illud, quàm reliqua, quæ penitus ignorat; siquidem cognoscit illud quoad naturam cum præcisione à differentiâ, reliqua verò, quoad nihil cognoscit, vt supponimus. Et quamuis cognitio abstractiua naturæ vnius indiuidui à differentiâ eius confusa ob id quodammodo dici possit, sed non confusione confundente tale indiuiduum cum aliis, quo pacto confundi dicuntur, quæ per eandem cognitionem, sed indistinctè, siue ignorâ ipsorum distinctione, attinguntur. Vnde abstrahens naturam ab vno tantum indiuiduo non habet conceptum vllomodo abstractum ab omnibus abstractione de quâ hic tractamus; atque adeo neq; communem omnibus; nec prædicabilem de illis. Ad confirmationem respondeo: ad faciendum mediâ abstractione vniuersale commune omnibus indiuiduis ab omnibus omnino debere naturam abstrahi. Ad hoc tamen non requiri, quod omnia distinctè occurrant menti abstrahentis; sed sufficere occurrant aliqua, aut etiam vnicum, vnde mens excitetur ad concipiendum vno conceptu tum eorum, illiusve, tum omnium illis similitum naturam cum præcisione à differentiis, quod non solum possibile, sed praxi consentaneum est. De quo iterum redibit sermo q. 8.

Quod si vniuersale specificum, vt tale sit, pluribus eger indiuiduis, ex quibus illud abstrahatur, siue adueniat; etiam vniuersale genericum egebit pluribus speciebus, & quodvis aliud vniuersale pluribus eorum inferiorum, respectu quorum vniuersale est.

Aduerto tamen Conimbr. in Pref. Porph. q. 8. art. 3. vbi punctum hoc tractant, asserere concretum hoc creator, tamen si soli Deo conueniat, vniuersale esse, quia forma eius est creatio communis: sed mihi non placet, quia quidquid sit de formâ concreti, si illud in se nullomodo est multiplex, sed vnicum tantum, vndeunque ei proueniat vnitatis, & consequenter neque in mente nostrâ est vnum multis commune, atque adeo conueniens multis,

D 3 &

& prædicabile de illis, non potest esse vniuersale, vt ex definitione vniuersalis ab omnibus recepta constat.

95 Iam secunda pars consecrarij aliàs communis contra vnum, aut alterum est sentientem oppositum. Probatur tamen; quia omnis vnitas aut constituit vnum commune pluribus communitate vniuersalis, aut constituit vnum non ita pluribus commune; non enim datur medium, cum sint extrema contradictoriè opposita. Si primum; est vnitas vniuersalis. Si secundum; vnitas singularis: Ergo vnitas media repugnat: Ergo vnitas naturæ abstractæ ab vno indiuiduo non media, sed singularis vnitas est.

96 Dices, præscinditur à singularitate: Ergo non manet ex suo conceptu vnitas singularis. Distinguo antecedens. Præscinditur à singularitate formali: concedo: fundametalis, siue reali: nego: & nego consequentiam; quia vt aliquid dicatur vnum vnitate singularis, sat est sit illud indistinctum ex conceptu suo à singularitate fundametalis, siue reali; eo ipso, quod singularitas est prædicatis est transcendentibus omnes omnino formalitates cuiuscunque indiuidui, vt pluribus exponam inferius.

97 Denique tertia pars consecrarij contra Petr. Hurr. Qui licet loco citato teneat naturam ab vnicò indiuiduo abstractam vniuersalem esse, vt vidimus, requirit tamen ad id, vt talis naturæ plura indiuidua sint possibilia. Vnde *disp. 5. log. sect. 3.* enixè contendit casu, quòd aliqua species vnum dumtaxat habeat indiuiduum possibile, vt de speciebus Angelorum censent Thomistæ, nequaquam posse talem speciem vniuersalem esse. Cuius sententiæ etiam sunt Rub. *cap. de specie, q. 4. Arriag. disp. 7. log. subf. 2.* & alij Recentiores: sententiam tamen nostram tenent communiter Thomistæ cum Caiet. *1. p. q. 13. art. 9. §. Aduerta hic, & cap. 3. de ente, & essentia, & cap. de specie dub. 3.* Pro eademque Conimb. in *Præf. Porphy. q. 8. art. 3.* referunt S. Th. Capr. Soncin. & alios. Qui cum doceant singulas Angelorum species vnicum tantum indiuiduum habere posse; censent nihilominus tales species vniuersales posse esse respectu talis indiuidui, & aliorum ratione nostrâ conceptibilia. Ratio autem huius sententiæ est, quia nihil est, quod vetet naturam chimericam aliquod ex conceptu suo obiectiuo prædicatum habere exactè simile, & æquale prædicato naturæ veræ, vt patet ex naturâ compactâ ex homine, & leone identificatis, quæ nequit non habere ex conceptu suo prædicatum hominis exactè simile, & æquale prædicato hominis veri: ergo neque erit quidpiam quod vetet prædicata illa exactè similia, & æqualia naturæ chimericæ, & naturæ veræ sub vnicò conceptu adunari ab intellectu nostro, siquidem ad huiusmodi adunationem præter exactam similitudinem, & æqualitatem prædicatorum nihil aliud requiritur, vt vel ipsa experientia ostendit, constabitque amplius ex dicendis *infra q. 8.* Talis igitur vnus conceptus talibus naturis veræ, & chimericæ communis erit, & prædicabilis de illis, vt pote ab ambabus abstractus, proindeque vniuersalis propriissimè, vt ex definitione constat.

98 Dices: vniuersale est potens esse in multis: Ergo debent illa multa esse posse, atque adeo esse possibilia, vt vniuersale re verâ sit potens esse in illis. Caue æquiuocationem. Distinguo antecedens: Vniuersale est potens esse in multis determinatè, & semper in statu auitolūtè existentiali, nego

antecedens; est potens esse in multis vel in statu existentiali, vel in statu quiditatio, ilque vel absolutis, vel conditionatis, iuxta diuersas materias vniuersalitatis, concedo; & nego consequentiam. Quia etiam chymeris in statu quiditatio, aut etiam existentiali conditionato conueniunt sua prædicata vniuersalia, hæcque proinde concipi possunt vt potentia illis inesse; atque de illis prædicari intra huiusmodi status, vt est notissimum.

Deinde obiici potest. Ens rationis dicitur ens per analogiam tantum ad ens reale: Ergo nequit dari conceptus vnus vniuersalis, & communis enti reali, & enti rationis: Hic etiam æquiuocatio cauenda est. In ente enim rationis ficto duplex venit ratio entis consideranda; nimirum ratio entis ficti, & ratio entis intentionalis. Prima ex parte obiecti se habet, peractumque fingentem cognoscitur, realisque est ex genere, siue ex conceptu suo, provt reale intentionali opponitur tamen si sepe non sit vera, quia sepe non est in se, vt concipitur. Secunda per actum fingentem non cognoscitur, ab eo tamen desumitur, quatenus obiectum medio illo intentionaliter, seu obiectiue dicitur esse, seu existere in mente cognoscentis, proindeque à potentia, quam habet ad sic intentionaliter existendum, ens intentionale, seu ens rationis appellatur, quæ ratio entis vera quidem est, non tamen realis, provt reale intentionali opponitur, sed intentionale, quia tale obiectum vere potest obiectiue existere in mente cognoscentis, tamen vere non possit existere in se à parte rei. De quo plura sunt dicta à nobis supra *disp. 12.* Itaque ens impossibile duplici titulo dicitur ens. Primo, quia verè est potens existere intentionaliter in mente illud cognoscentis, & hoc pacto analogicè tantum conuenit in solo nomine cum ente reali, quia potentia ad existendum intentionaliter, & potentia, ad existendum realiter non habent omnimodam similitudinem, vt in vnicam conceptum vniuersalem coire possint, sed aliqualem dumtaxat, quæ analogia dicitur. Secundo, vel quia verè est id, quod de suo est, ex suæ conceptu obiectiuo: vel quia tamen si fictitiè, etiam est suo conceptu obiectiuo potens realiter existere similiter ac verum ens, tale enim à fingente concipi potest. Atque ita in vtrâque ratione entis vnica, vniuersali, & vniocâ cum ente reali, & possibili potest conuenire. Pariterque in aliis rationibus obiectiuis, quæ præcisè spectatæ cum similitudine omnimodâ sunt in vtroque conceptibiles. Ex quo patet ad obiectiuenem. Quam quidem doctrinam, quia multi non animaduertunt, ideo conceptus vniuersales, vniocæque communes entibus realibus, & chymericis, abs iure tamen abnegantur.

Consecrarium 6.

Vniuersale, quod metaphysicum appellant, per 100 adunationem naturæ re ipsâ multiplicis seu abstractiuam, seu non abstractiuam fit. Vniuersale autem logicum insuper per comparationem, quæ natura adunata potens concipitur inesse multis, aut etiam prædicari de illis.

Vtræque pars communis est, & ex dictis in superioribus satis conspicua. Quod dubitant hic aliqui, est: An comparatio, per quam fit vniuersale logicum, sit simplex aut composita; hoc est an sit apprehensio simplex, an potius iudicium? Et quidem non esse iudicium, quo natura vniuersalis de suis inferioribus affirmatur, certum est apud omnes

omnes, contra nescio quos tacito nomine citat Rub. q. 6. Quia per tale iudicium potius definit esse vniuersalis natura, vt vidimus confect. 1. solum ergo potest esse dubium de iudicio, quo indicatur natura vniuersalis potens esse in multis, aut prædicari de illis.

101 Dico vniuersè per nullum iudicium nostrum effici vniuersale, aut aliquid aliud ens rationis seu suppositum, seu fictum. Quia cum ad omne iudicium nostrum præsupponatur apprehensio simplex obiecti iudicati, vt supra disp. 2. q. 4. confect. 2. statum; quando aliquod iudicium nostrum circa aliquod ens rationis versatur, iam præsupponit illud factum per præuiam apprehensionem, atque adeo non facit, vt pluribus explicatum est supra disp. 1. 2. vbi vidimus etiam, quomodo propter eundem titulum, inter alios, per nullum actum voluntatis, alteriusve potentie appetitiue, vt præsupponentem cognitionem sui obiecti, aliquod ens rationis effici possit.

102 Quod autem neque à Deo, neque ab Angelis, neque ab alio quopiam cognoscente per species proprias possit vniuersale fieri ex dictis in disp. citata, atque etiam in præsentis satis est notum.

Confectarium 7.

103 Potentia ad essendum in multis, quâ vniuersale logicum constitui dicitur, proprietates quædam est vniuersalis metaphysici, quemadmodum prædicabilitas, siue potentia vt prædicetur de multis, proprietates vniuersalis logici dici solet. Quæ subinde proprietates mediata erit vniuersalis metaphysici.

Ratio est; quia hoc ipso, quod natura per adunationem ex multis facta est vna, atque adeo vniuersalis metaphysicè, consequenter eadem potens inesse eisdem multis, siue eis conuenire, vt conuenit prædicatum subiecto. Ad quod rursum consequitur, vt possit prædicari de illis, quod est potentiam dictam ad essendum in multis esse immediatam proprietatem vniuersalis metaphysici, mediatam autem eiusdem potentiam, vt prædicetur de multis, quæ propter proprietates erit immediata vniuersalis logici, si hoc, vt ponimus, constituitur per illam ad essendum in multis.

Confectarium 8.

104 Eodem iure dicendum est proprietatem vniuersalis metaphysici esse subiectibilitatem respectu eorum, quæ de ipso possunt prædicari; atque adeo etiam præuiam potentiam, vt subit illis tanquam subiectum prædicato.

Ratio conspicua est; quia quidquid à nobis est conceptibile, quemadmodum confestim à nobis est prædicabile de illis, quibus conuenit, vt subiectis; ita confestim quoque à nobis est subiectibile illis, quibus conuenit vt prædicatis; atque ita sicut citra prædicationem concipi potest inesse illis, quibus conuenit vt subiectis; ita pariter citra prædicationem concipi poterit subesse illis, quibus conuenit vt prædicatis, vt est notissimum: sed vniuersale metaphysicum à nobis conceptibile est, vt constat. Ergo.

105 Solum dubitare quis poterit, quibusnam prædicatis sit subiectibile vniuersale. quorumnamve prædicatorum possit subiectum esse? Dico imprimis, prædicatione indirectâ iis omnibus subiectibile esse, de quibus prædicatione directâ prædicabile est: puta factis prædicationibus per verbum

substantium esse, vt semper fieri possunt, tamen si sæpe etiam possint fieri per alia verba iuxta doctrinam supra datam disp. 2. q. 4. confect. 1. Ratio est; quia cum verbum esse substantium significet identitatem extremorum, quæ non potest non mutua esse, quidquid prædicatur verè de aliquo, eidem verè quoque subici potest, saltem prædicatione indirectâ. Quam autem prædicatione directâ dicatur q. illa 4. citata confect. 4. exposuimus. Itaque, quia homo e. g. de Petro, Ioanne, Francisco &c. directè prædicabile est ita, *Petrus est homo: Ioannes est homo: Franciscus est homo: &c.* idcirco eisdem est indirectè subiectibilis sic, *Homo est Petrus: Homo est Ioannes: Homo est Franciscus, &c.* Facta nimirum hominis contractione, eiusque vniuersalitate amissâ in his indirectis prædicationibus æque ac in illis directis, iuxta doctrinam paulò ante confect. 1. statutam. Ex quo patet, quomodo non minus sit proprietas vniuersalis posse subici suis inferioribus indirectè, quam posse prædicari directè de illis.

Deinde prædicatione directâ iis omnibus prædicatis est subiectibile vniuersale, quæ illi directè conueniunt, quæ multa esse solent essentialia, & accidentalia. e. g. homini conuenit directè esse animal, esse rationale, esse admiratum, esse risibilem, esse diuersum à bruto, esse coloratum, esse quantum, esse relatum, esse alicubi, &c. quibus propter prædicationem directè est homo subiectibilis. Esse tamen hominem directè his prædicatis subiectibilem non est proprietas eius in quantum vniuersalis (sicut esse indirectè subiectibilem Petro, Ioanne, & Francisco, &c.) Sed in quantum hominis, eo quod per talem subiectibilitatem non est homo multiplicabilis in talia prædicata, (sicut per subiectibilitatem, quâ Petro, Ioanni, & Francisco, &c. subici potest) ob id enim quoduis hominis indiuiduum nullatenus vniuersale eisdem prædicatis, eodemque modo directè subiectibile est. De Petro enim, non minus quàm de homine est prædicabile directè esse animal, esse rationale, esse risibilem, &c.

Ex quibus patet ex eo, quod aliquid sit vnum directè subiectibile pluribus, non esse vniuersale nisi sit in eis pluribus multiplicabile, nam quoduis indiuiduum est vnum directè subiectibile pluribus, iis scilicet omnibus prædicatis, cuius subiectum esse potest, nec tamen est vniuersalis defectu multiplicationis in illis. Quemadmodum neque ex eo, quod aliquid sit vnum directè de pluribus prædicabile, & vniuersale, nisi sit multiplicabile in ipsis pluribus, vt patet in vnâ, indiuiduâque essentia Dei directè de tribus personis prædicabili, in vnâque albedine posita in pluribus subiectis, & prædicabili de illis.

Quod dubitari potest est. An sicut pleraque vniuersalia in quantum huiusmodi prædicabilia sunt directè de multis; eisdemque subinde indirectè subiectibilia, vt vidimus, aliquid sit possibile vniuersale, quod in quantum vniuersale, vice versâ, directè sit subiectibile multis, de eisdemque consequenter indirectè tantum prædicabile. Dico esse possibile. Tale enim est conceptus vniuersalis subiecti ad multa prædicata distincta inter se comparatus, quæ de illo possunt directè prædicari, mediâ eius multiplicatione, siue distributione, atque adeo contractione sic: *subiectum est album: subiectum est nigrum: subiectum est frigidum: subiectum est calidum, &c.* Quæ prædicationes directæ sunt, & de prædicatis distinctis. Quibus proinde subiectum

realiter multiplex, & per nostram rationem vnum per sui multiplicationem & contractionem directè subiectibile est, & indirectè prædicabile. Ita *Album est subiectum: Nigrum est subiectum: Frigidum est subiectum, &c.* Quo nihil desideratur, vt subiectum sic vsurpatum respectu talium prædicatorum vniuersale sit. Cui alia similia præterea absque dubio sunt possibilia, faciliq; possent excogitari.

Confectarium 9.

109 De vniuersalitate negationum, seu carentiarum rerum perinde philosophandum est suâ proportionem seruata, & per quamdam æquiualentiam, ac de vniuersalitate rerum ipsarum.

Nam licet negationes rerum nihil omnino sint positivè in se conceptibile, & adhæsiuè iudicabile, proindeque iudicium negatiuum rei non circa rei negationem per modum positionis, siue adhæsionis; sed circa rem ipsam per modum recessus, siue remotionis versetur, vt *suprà disput. 2. quest. 4. propos. 4.* statuimus, & latius *disput. 9. quest. 3.* Cæterum, quia, vt ibi etiam adnotauimus, nos in præsentia statu ad instar rerum in phantasmatibus substitutis negationes positivè concipimus, de eisq; vt sic positivè, & adhæsiuè per æquiualentiam quamdam iudicia ferimus; perinde enim est apud nos iudicare. *Negatio Petri existit*, ac iudicare. *Petrus non existit*. Hoc imprimis pacto per quamdam etiam æquiualentiam de negationibus rerum perinde, atque de rebus ipsis poterimus philosophari, quod ad earum vniuersalitatem, & singularitatem attinet. Sicut enim ex hoc, & illo, & illo homine abstrahimus, siue adunamus rationem hominis ipsis communem, & specificam; ita ex hac carentiâ hominis, & illâ, & illâ poterimus abstrahere, siue adunare rationem carentiæ hominis ipsis communem, & specificam. Et sicut ex homine, equo, & leone abstrahimus, & adunamus rationem animalis genericam; ita ex carentiâ hominis, equi, & leonis poterimus abstrahere, & adunare rationem carentiæ animalis genericæ; & in cæteris pariter. Sicque per simplicem apprehensionem ante iudicij adhæsiui, seu positivi aduentum facimus vniuersalia negatiua, non aliter, ac positiua, iuxta dicta *confect. 6.*

110 Veruntamen, quia cum procedimus per iudicia negatiua rerum, quibus iudicia positiua negationum rerum æquivalent, nulla negatio obiectiua à nobis concipitur, quia per apprehensiones præuias dumtaxat apprehenduntur, ac proponuntur ipsæ res, in quas eadem iudicium tendit per modum recessus, seu remotionis; idcirco in huiusmodi casibus nullum vniuersale negatiuum in rigore formamus, quod se habeat ex parte obiecti; illud tamen per quamdam etiam æquiualentiam poterimus dici formare, quando conceptus positiuus per apprehensionem propositus, & per iudicium negatiuum remotionis vniuersalis est, talèque vniuersale negatiuum dicetur fieri, quale est conceptus ipse. Sic, qui iudicat nullum hominem existere, vniuersale negatiuum specificum, & qui iudicat nullum animal existere vniuersale negatiuum genericum, & qui iudicat nullum equum currere, vniuersale negatiuum accidentale dici poterant fabricari; & in cæteris pariter.

111 Recole alia, quæ *suprà* de vniuersali diximus *disputat. 2. quest. 3. in confectariis*, quibus amplius adhuc tibi innotescant natura, & affectiones eius.

Quæ autem hic à multis logicis de prædicationibus actualibus scribuntur, supra etiam *disput. 2. questione 4. confectar. 3. & 4.* reperies expolita.

QVÆSTIO VII.

Quotuplex sit vniuersale?

Variis modis potest vniuersale diuidi. Celebris tamen ille est, quo diuiditur in quantum prædicabile penes diuersas habitudines, quas potest habere ad subiecta, de quibus prædicabile est. Diuiditur autem vt sic primâ diuisione in duo membra: Secunda verò in septem omnino venit exactè diuidendum, quidquid Porphy. & cæteri quique logici post ipsum diuiserint in quinque. Quæ rursus septem membra in alia plura possunt subdiuidi, & prorsus debent, vt in materia prædicabilium cum eâ distinctione, quâ par est, procedatur. Igitur,

Diuisio I.

Vniuersale vt prædicabile aliud essentiale, aliud¹¹² accidentale est.

Etenim, quod prædicatur de subiecto per verbum substantiuum *esse*, (vt omne vniuersale prædicari potest, iuxta doctrinam statutam *disputat. 2. quest. 4. confect. 1.*) aut nihil adicitur supra subiectum, sed vel totum ipsum, vel partem aliquam eius repetit, aut adicitur aliquid supra subiectum. Si primum. Prædicatum est subiecto essentiale. Si secundum, accidentale, sumpto vocabulo accidentis cum omni latitudine pro eo quod essentia adicitur quoquo modo; affectioque essentia vniuersè solet vocari. Essentia enim subiecti dicitur (sicut & cuiusvis alterius conceptus obiectiui siue simplicis, siue compositi) id totum, quod subiectum est ex suo conceptu adæquato siue id, quod subiectum in essentiali prædicatione adæquare subidentificat per actum essendi substantiuum, qualem significat vnicè verbum *esse* substantiuè vsurpatum: idque siue subiectum sit simplex, siue compositum vel physicè, vel metaphysicè. Quamquam enim vox *essentia* primè actum essendi substantiuum significat, quem verbum substantiuum *esse* significat tanquam nomen verbale eius; iam tamen non pro tali actu vsurpatur, sed pro conceptu medio ipso actu identificato subiecto, vt pluribus explicatum est *suprà disputat. 9. quest. 1. & 2.*

Vbi essentiam sic vniuersè sumptam in quatuor¹¹⁴ primùm membra diuisimus; nempe in essentiam physicam, metaphysicam, transcendentalem, & logicam. Deindeque quamvis earum in essentiam per se; & in essentiam per accidens. Essentia per se physica est totum, quod res physicè est ex æquo, & directè. Essentia verò physica per accidens concretum adiectiuum est physicum constans ex subiecto in recto, & actu, seu forma in obliquo distinctis physicè, quod obiectum seorsim à formâ etiam dicetur essentia per se physica talis concretæ. Essentia per se metaphysica est subiectum omnium actuum vnicuique rei convenientium, & solâ ratione nostrâ à tali subiecto distinctorum. Essentia verò metaphysica per accidens concretum adiectiuum metaphysicum erit coalescens ex tali subiecto in recto, & ex talibus actibus, aut aliquo eorum in obliquo. Essentia transcendentalis est, quæ non solum